



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi**

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

Relatio Abbatis Ioannis de Abbate. Callinico. Capvt CXXXVII.

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

nicari vis? Respondit: Quia esurio. Et aio ad eam: Noli fornicari, sed veni quotidie, & vt Deus disposuerit, dabo tibi cibum tuum. Ex illa ergo die veniebat ad me diebus singulis, & si quid Deus mittebat mihi, præbebam illi cibum, quadusque recessi de illis locis.

*¶ Ecce quomodo etiam antiqui monachi psallebant horas canonicas, nam Tertia vna illarum est.*

*Relatio Abbatis Ioannis de Abbate.*

*Callinico.*

CAPVT CXXXVII.

**D**ixit iterum idem Abbas Ioannes: Cùm essem iunior, cupiebam pergere ad magnos, & nominatissimos patres, vt ab eis benedicerer, & ædificarer. Audiens igitur de Abbate Callinico magno illo, qui in monasterio Abbatis Sabæ inclusus erat, orauit quendam ex familiaribus illius, vt me ad illum duceret. Abijit itaque ad illum. Assidens verò is, qui me adduxerat, frater ad fenestram senis, per multam horam loquebatur cum eo. Ego verò in me ipso cogitabam, quia nunquam viderat me senior, ne fortè non gratè susciperet me. Cum verò frater ille recederet, permisit me ingredi, & salutare senem, & benedici ab eo, dicens ad eum: Ora & pro isto seruo tuo, pater, quia inter primos huc venit. Senex autem dixit, Agnosco illum, fili. Nam ante viginti dies descendi ad sanctum Iordanem, & occurrit mihi in via dicens: Ora pro me. Et ego interrogaui eum: Quod est nomen tuum? Atque mihi: Ioannes: Extunc igitur agnosco eum. Hoc audiens ego cognoui, quia quando cogitavi accedere ad illum, reuelauit illi Deus & nomen meum, & quis essem.